



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis Ecclesiae

Johann Hugo <Trier, Erzbischof>

Mogvntiae, 1688

Processio in festo SS. Corporis Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75322)



Sancta Maria, Ora pro nobis.

Surgunt omnes, & ordinatim procedunt, egredientes, Litaniasque prosequentes, præcedente cruce, & sequente Clero, si adsit, ultimo loco sacerdos paratus, ut supradictum, cum ministris, prout res vel locus postulat.

Si processio sit longior, Litanis usque ad preces exclusivè absolutis, dici possunt aliqui psalmi ex poenitentialibus vel gradualibus, Hymni verò seu cantica lætitiæ in rogationibus, vel aliis poenitiæ causâ institutis processionibus, non dicantur.

Si ad Ecclesiam in via sit divertendum, ingressis Ecclesiam, intermissis etiam Litanis vel Psalmis, cantatur Antiph. cum Versu & oratione sancti Patroni illius Ecclesiæ.

PROCESSIO IN FESTO SANCTISSIMI CORPORIS CHRISTI.

O Rdo processionis formari potest ex descripto superius ordine processionis sollemniore pag. 284. quo instituto, sacerdos pluviali albo indutus ter incensat Sacramentum genuflexus. ^{Si} Diaconus adsit, decens ^{de} vestim scapulis sacerdotis circumpositis poterit, qui parte veli illius ante pectus pendente, utràque manu coopertâ, monstrantiam à Diacono sibi porrectam in supremo altari genuflectens ^{accipit et sub} ~~incensat~~ ^{peroratione tantum} ~~incensat~~, mox assurgit, & ad altare accendit, ^{et cum augustissimo Sacramento} ~~vertit se ad populum, & thuribulum vel thuribula præferuntur.~~ Dum discedit ab altari, Clerus, vel sacerdos cantare incipit hymnum, Pange lingua gloriosi &c. Quo inchoato processio in viam se dat & progreditur. Omnes procedent nudo capite, & hymnum devotè prosequentes, etiam in via: **Lauda Sion Salvatorē &c.**

vel

vel sacris solenniis juncta sint gaudia &c, decantare per vices possunt.

Evangelium primum. Ad Altare primum.


Postquam ad primum altare pervenerit processio, Diaconus si adsit, cum debita reverentia & genuflexione, de manu sacerdotis stantis accipiet SS. Sacramentum, & illud super altare collocabit, aliàs sacerdos ipse deponit reverenter, & thurificat Sacramentum, dein Diaconus genuflexus ante venerabile Sacramentum dicit: Munda cor meum &c. & accepto libro ex Altari cum debita reverentia ante officiatorem, dicit: Jube Domine benedicere &c. habitâ benedictione decantat, Subdiacono, si adsit, librum tenente, Evangelium primum.

*que omnia omifrs omittendis
alias ipse
Sacerdos
exequitur*



V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.



Initium sancti Evangelii secundum Matthæum.

Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham: Abraham genuit Isaac: Isaac autem genuit Jacob: Jacob autem genuit Judam & fratres ejus: Judas autem genuit Phares & Zaram de Thamar: Phares autem genuit Efron: Efron autem genuit Aram: Aram autem genuit Aminadab: Aminadab autem genuit Naason: Naason autem genuit Salmon: Salmon autem genuit Booz de Rahab: Booz autem genuit Obed ex Ruth: Obed

O o 2 autem

autem genuit Jesse: Jesse autem genuit David regem: David autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ. Salomon autem genuit Roboam: Roboam autem genuit Abiam: Abias autem genuit Joram: Joram autem genuit Oziam: Ozias autem genuit Joathan: Joathan autem genuit Achaz: Achaz autem genuit Ezechiam: Ezechias autem genuit Manassen: Manasses autem genuit Amon: Amon autem genuit Josiam: Josias autem genuit Jechoniam, & fratres ejus in transmigracione Babylonis. Et post transmigracionem Babylonis, Jechonias genuit Salathiel: Salathiel autem genuit Zorobabel: Zorobabel autem genuit Abiud: Abiud autem genuit Eliacim: Eliacim autem genuit Azor: Azor autem genuit Sadoch: Sadoch autem genuit Achim: Achim autem genuit Eliud: Eliud autem genuit Eleazar: Eleazar autem genuit Mathan: Mathan autem genuit Jacob: Jacob autem genuit Joseph, virum Mariæ, de qua natus est Jesus qui vocatur Christus.

Sacerdos osculatur librum sibi delatum, dicens: Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta. Amen.
& incensatur more solito à Diacono: si ad fa

Officiator ante venerabile in genua provolutus canit:
 Peccatores!

Chorus respondet: Te rogamus audi nos.

Officia

Processio in festo Corporis Christi. 293

Officiator: Ut Pontificem nostrum **N.** & Antistitem nostrum **N.** unà cum grege commisso in sancta religione conservare digneris.

Chorus resp. Te rogamus audi nos.

Si statio sit propè aliquam Ecclesiam, ejusdem patroni sit memoria cum versu: **Ora pro nobis S. N. & Chorus respondet:** Ut digni efficiamur promiss. &c.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, te supplices exoramus, famulum tuum Pontificem nostrum **N.** & antistitem nostrum **N.** unà cum grege illis commisso ab omnibus erroribus & adversitatibus custodi.

Ecclesie tuæ quæsumus Domine preces placatus admitte, ut destructis adversitatibus & erroribus universis, secura tibi serviat libertate.

Si, ut supra, sit apud Ecclesiam additur tertia collecta de ejus Ecclesie patrono: & concluditur.

Per Dominum nostrum &c. R. Amen.

Deinde Officiator imponit thus absque benedictione in thuribulum, genuflectit & thurificat venerabile Sacramentum ~~pro ut supra in exitu processionis annotatum est.~~

Ad secundum Altare.

Cum pervenerit processio, fiunt omnia sicut ad stationem primam, habitaque benedictione canitur:

O o 3

V. Do-

✠. Dominus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

✠. Initium S. Evangelii secundum Marcum.

℞. Gloria tibi Domine.

Initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei, sicut scriptum est in Isaia Propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. Fuit Joannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum. Et egrediebatur ad eum omnis Judææ regio & Jerosolymitæ universi, & baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua. Et erat Joannes vestitus pilis cameli; & zona pellicea circa lumbos ejus: & locustas & mel silvestre edebat. Et prædicabat dicens: venit fortior me post me; cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus. Ego baptizavi vos aquâ: ille verò baptizabit vos Spiritu sancto.

Sacerdos librum Evangeliorum sibi denuò delatum osculatur dicens: per Evangel. dicta &c. & incensatur, sicque fit deinceps post reliqua Evangelia.

*Officiator ante Venerabile Sacramentum provolutus canit:
Peccatores!*

Chorus

Processio in festo Corporis Christi. 295

Chorus resp. Te rogamus audi nos.

Officiator. Ut Imperatori nostro **N.** Regibus & Principibus Christianis, pacem & veram concordiam largiri digneris.

Chorus resp. Te rogamus audi nos.

Officiat. Vers. Fiat pax in virtute tua.

Chor. resp. Et abundantia in turribus tuis.

Oremus.

Deus regnorum omnium, & Christiani maxime protector Imperii, da seruo tuo Imperatori nostro **N.** triumphum virtutis tuæ scienter excolere, ut qui tuâ constitutione est princeps, tuo munere semper sit potens.

Deus à quo sancta desideria, recta consilia & iusta sunt opera; da seruis tuis illam, quam mundus dare non potest pacem, ut & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublatâ formidine, tempora sint tuâ protectione tranquilla.

Deus refugium nostrum & virtus, adesto piis Ecclesiæ tuæ precibus auctor ipse pietatis, & præsta, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum &c.

R. Amen. Et Officiator ante Venerabile provolutus illud incensat ut suprâ ad altare primum.

Ad tertium Altare.

Omnia ut suprâ, ad altaria priora, servantur.

V. Do-

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

O. Initium S. Evangelii secundum Lucam.

R. Gloria tibi Domine.

Fuit in diebus Herodis regis Judææ , sacerdos quidam , nomine Zacharias , de vice Abia ; & uxor illius de filiabus Aaron , & nomen ejus Elisabeth. Erant autem justi ambo ante Deum , incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela. Et non erat illis filius , eò quòd esset Elisabeth sterilis , & ambo processissent in diebus suis. Factum est autem , cum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum , secundum consuetudinem sacerdotii , forte exiit ut incensum poneret , ingressus in templum Domini. Et omnis multitudo populi erat orans foris horâ incensi. Apparuit autem illi Angelus Domini , stans à dextris Altaris incensi. Et Zacharias turbatus est videns , & timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus : Ne timeas , Zacharia ; quoniam exaudita est deprecatio tua : & uxor tua Elisabeth pariet tibi filium , & vocabis nomen ejus Joannem : & erit gaudium tibi & exultatio : & multi in natiuitate ejus gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino ; & vinum & ficeram non bibet : & Spiritu sancto

Processio in festo Corporis Christi. 297

sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ : & multos filiorū Israël convertet ad Dominum Deū ipsorum. Et ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ : ut convertat corda Patrum in filios, & incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.

Sacerdos officiator denuo osculatur librum ad sedentem dicens :

Per Evangelica dicta &c. & incensatur : & ante Venerabile provolutus canit: Peccatores!

Chorus resp. Te rogamus audi nos.

Officiator: Ut fructus terræ nobis dare, & conservare digneris.

Chorus resp. Te rogamus audi nos.

Officiat. Fiat misericordia tua super nos.

Chorus. Quemadmodum speravimus in te.

Oremus.

Clementiam tuam omnipotens Deus suppliciter deprecamur, ut benedicere, visitare, & irrigare digneris fruges, & fines servorum tuorum, noxias tempestates amoveas, inundationem coërceas imbrium, spirituales repellas nequitias, aërem salubrem indulgeas: & ab omni nos inimicorum infestatione in pace defendas, quos corpore & sanguine filii tui à morte perpetua redemisti.

Deus qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti; tribue quæsumus,

P p

sumus,

sumus, ita nos corporis & sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus.

Pateant aures tuæ misericordiæ omnipotens Deus, precibus supplicantium, & ut petentibus desiderata concedas, fac eos quæ tibi sunt placita postulare. Per Dom.

R. Amen. Et Officiator ante venerabile Sacramentum genuflexus ut supra incensat &c.

Ad quartum Altare.

Servatis servandis ut supra, ~~de lato libro,~~ ^{duo} & dicto: Munda cor meum &c:

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Initium S. Evangelii secundum Joannem.

R. Gloria tibi Domine.

In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. &c. supra pag. 29

Finis Evangelio sacerdos denuò osculatur librum dicens: per Evangelica dicta deleantur &c.

Ante venerabile Sacramentum provolutus in genua canit: Peccatores!

Chorus: Te rogamus audi nos.

Officiator: Ut locum hunc à fulgure & tempestate peste, fame, bello, & omnibus malis præservare digneris.

Chorus

Chorus resp. Te rogamus audi nos.

Si sit in cœmeterio: Ut animabus omnium fidelium defunctorum propitiari digneris.

Chorus resp. Te rogamus audi nos.

V. Domine non secundum peccata nostra facias nobis.

R. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

Oremus.

Benedic Deus omnipotens locum istum, ut sit in eo sanitas, castitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas & mansuetudo, plenitudo legis, & gratiarum actio Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto; & hæc benedictio maneat super hunc locum, & super habitantes in eo, nunc & in sæcula sæculorum.

Parce Domine parce populo tuo, & nullis nos patiaris adversitatibus, bellis, morbis, tempestatibus, ac periculis fatigari, quos pretioso filii tui Domini nostri JESU CHRISTI corpore & sanguine redemisti.

Absolve quæsumus Domine animas fidelium tuorum hic & ubique in Christo quiescentium ut defuncti sæculo tibi vivant, & quæ per fragilitatem carnis, humanâ conversatione peccata commiserunt, tu veniâ misericordissimæ pietatis clementer indulge. Per Dominum.

R. Amen. **Et incensatur ut supra, & rediit processio ad**

Ecclesiam: ubi habetur sacrum, ^{nisi ante habitum fuerit} ~~eo finito canitur:~~ ^{Deum canit} Te Deum laudamus. quo absoluto omnes genuflectunt: sacerdos adorato & incensato Venerabili Sacramento canit cum eo ad populum conversus.

Tantum ergò &c. Genitori genitoque &c. Respondente choro reliquos versus ut moris est, datâque benedictione reponitur monstrantia in tabernaculum, atque à sacerdote clauditur.

PROCESSIO IN DIE ANIMARUM.

IN parochiis pridie animarum post vesperas Defunctorum decantatas, sicut & in ipsa animarum die, instituitur processio per Ecclesiam totam & coemeterium, Pastorque aspergit omnia sepulchra, cantanturque responsoria, primi, vel etiam tertii nocturni officii Defunctorum, & quando pervenitur ad ossuarium recitatur Psalmus Miserere mei Deus &c. vel De profundis &c. cum collecta: Deus in cuius miseratione &c. ut sequitur.

In reditu ad Ecclesiam, ante altare majus cantatur: Respons. Libera me &c. ^{ut supra pag. 112.} Deinde

Kyrie eleison. **C**hriste eleison. **K**yrie eleison.

Pater noster. *secretò.*

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos à malo.

V. A porta inferi.

R. Erue Domine animas eorum.

V. Domine exaudi orationem meam.

Dominus vobiscum.

Ore-